

bet esse dependens a materia. Ergo anima plantarum fit dependenter a materia, i. e. per transmutationem materiae. Sed quae fiunt per transmutationem materiae dicuntur fieri per *generationem*. Ergo...

Prob. II p. (*interit per corruptionem*). — Modus quo res aliqua interit, respondere debet modo quo ipsa habet esse; nam *interitus* non est nisi cessatio ab esse. Atqui anima plantarum habet esse dependens a materia. Ergo anima plantarum interit dependenter a materia, i. e. per transmutationem materiae. Sed quae intereunt per transmutationem materiae, dicuntur interire per *corruptionem*. Ergo...

Obi. — Nequeunt corrumpi quae non sunt substantialiter composita; animae vero non sunt substantialiter compositae, siquidem non sunt corpora.

R. — Nec nos diximus animas plantarum corrumpi; sed diximus ipsas interire *per corruptionem*.

Instat. I. — Scholastici omnes dicere solent animas vegetativas et sensitivas *corrumpi*.

R. — Sed semper subiungunt, vel saltem subintelligunt, formulam *per accidens*, quae significat animas praedictas desinere, non per corruptionem propriam, sed per corruptionem corporum, i. e. per earum separationem a materia.

Instat. II. — Animae, cuiusvis sint ordinis, habent esse proprium. Iam si habent esse proprium, nescimus qua ratione esse hoc conservare non possint, etiam post separationem a materia.

R. — Ratione simplicissima, nimirum quia earum esse tanta imperfectione laborat, ut quemadmodum sine concursu materiae nequit operari, ita sine concursu materiae nequeat subsistere. Etiam accidentia habent esse proprium; nihilominus, statim ac separantur a substantia, deficiunt.

PARS TERTIA

DE SENTIENTIBUS.

In hac tertia et ultima Cosmologiae parte ordine solito procedemus. Sed cum brevitati studendum sit, omissis quae, potius quam ad philosophos, ad historiae naturalis tractatores spectant, statim in examen revocabimus operationes et facultates sentientium, h. e. animalium, ut subinde ad istorum naturam investigandam gradum facere possimus.

CAPUT I.

DE FUNCTIONIBUS ET FACULTATIBUS SENTIENTIUM.

Constat animalia, praeter nutritionem, aucionem et generationem, plures alias functiones seu operationes exercere, quae illis tantum conveniunt, quaeque illa a caeteris viventibus secernunt. Functiones huiusmodi reducuntur et ipsae ad tres primarias, quae sunt: *sensatio*, *appetitio sensitiva*, *motus relationis*.

Sub *sensationis* nomine hic proprie venit actus quo animal percipit res materiales, sive ei externas (uti obiecta sensibilia i. e. obiecta quae valent organismum sentientis immutare), sive ei internas (ut immutationes ipsius organismi sentientis). — Nomine *appetitionis sensitivae* designatur passio seu affectus (nunc potius *emozione* vel *sentimento corporeo, animale*) qui in animali exoritur post perceptionem cuiusdam boni aut mali materialis. — Tandem nomine *motus relationis* designant nuperi omnem motum localem, quem animal exequitur, ab aliqua praevia sensatione et appetitione impulsus.

Sensationes, appetitiones et motus relationis, ut iam nunc

satis apparet atque satius apparebit, sunt functiones omnino diversae; ergo etiam facultates illis respondentes, scilicet *sensitivitas, appetitus sensitivus, locomotivitas*, erunt facultates omnino diversae. De his tribus facultatibus, ac de suis propriis operationibus, in tribus sequentibus articulis disputabimus.

ARTICULUS I.

DE SENSITIVITATE.

Quaquam sensationes, uti operationes immanentes, efficiantur omnes intra subiectum sentiens, tamen iure dividuntur in *internas et externas*.

Sensationes *externae* sunt quae versantur circa res adhuc sentienti, quatenus sentienti, extrinsecas; etiamsi intra partes corporis eiusdem, e. g. in stomacho, inveniuntur. Contra sensationes *internae* sunt quae versantur circa sensationes externas et circa res, quae per illas iam sunt in sentiens, quatenus sentiens, ingressae. Exempla sensationis externae habes in visione, auditione, etc., nec non in omni sensatione, v. g. calidi vel frigidi, quam in ore vel etiam in ipso stomacho crebro experiris, post assumptionem alimenterum: exempla vero sensationis internae tibi offerunt sensus intimus, quo sentis te sentire; phantasia qua tibi repraesentat res absentes, etc.

Congruenter huic divisioni sensationum, sensitivitas dividitur in *internam et externam*: porro, cum sensitivitas externa priusquam interna exerceatur, illa priusquam ista pertractanda est.

§ I. DE SENSITIVITATE EXTERNA.

Sensitivitas externa est facultas sensationum externarum. Ipsa in alias quinque dispescitur, quae nominantur *sensus externi*, suntque: *visus, auditus, odoratus, gustus et tactus*. — De singulis hisce sensibus, necnon de eorum organis et obiectis, nunc aliquantulum disserendum.

Visus. — Est sensus a quo emanant visiones, et in ocu-

lis residet. Oculus pluribus partibus coalescit, quae utique visioni apprime inserviunt, at non sunt eiusdem subiectum. Subiectum, i. e. pars organica in qua completur visio, est *retina*, seu pars ab extremitatibus nervi optici efformata. — Colores constituunt obiectum proprium visionis: ipsi potentialiter tantum insunt corporibus, et fiunt actu visibiles per virtutem lucis.

Auditus. — Ipse originem praestat auditionibus, quae exercentur in illa parte magis interna totius apparatus auricularis, cui nomen *labyrinthus*, et proprie in extremitatibus nervi acustici. — Sensibile proprium auditus sunt soni, i. e. qualitates speciales ex vibratione corporum enatae.

Odoratus. — Organum huius potentiae sensitivae est *membrana pituitaria*, fibrillis nerveis contexta, qua intus subsuitur unaquaeque naris: sensibile vero proprium constituitur ab odoribus. — Odores percipiuntur tantum per particulas minutissimas, quas aër continuo furatur corporibus et ad nares evehit. Quum eiusmodi particulae nares ingrediuntur, per mucum membranae videntur subiici processo cuidam chimico; et solum post processum hunc fit actu odor, atque eiusdem sensatio experitur.

Gustus. — Sensationes gustus consummantur in lingua sola, imo in solis illis nervulorum protuberantiis, quae *papillae* nuncupantur. — Sapores, qui sunt obiectum proprium sensationum gustatarum, non aliter ac odores, inveniuntur tantum potentialiter in corporibus, tumque actu fiunt cum eadem corpora chimice dissolvuntur vi salivae.

Tactus. — Dum caeteri sensus inhaerent partibus admodum praefinitis, tactus diffunditur per totam superficiem corporis et in eius partes intimiores penetrat: inest enim *papillis* totius *dermatis* insuper et innumeris illis nervis sensilibus, qui a systemate cerebro-spinali incipiunt et propagantur per omnes partes molles corporis animalis, non exceptis iis quibus insunt alii sensus (1). — Obiecta propria

(1) Recentes physiologi distinguunt et ipsi sensationes resistentiae (quas proprie *tactiles* vocant) a sensationibus *temperaturae* (quas vocant sensationes *termicas*); insuper illis et istis assignant terminationes nerveas diver-

huius sensus sunt calor, frigus, mollities, asperitas et aliae qualitates *tactiles* nuncupatae. Sed observare oportet perdifficile esse coadunari omnes praedictas qualitates sub una ratione formali, quae a sensu *specificè uno* percipiatur. Absque dubio durities, mollities, asperitas, etc., sunt tantum modi diversi, quibus resistentia impressionem facit in organo tactus, et idcirco omnes ad resistentiam reducuntur. Item calor et frigus reducuntur ambo ad temperaturam. Sed inter re-

sas, atque in diversis organis inveniunt diversam earum excitabilitatem. Sed, plus aequo procedentes ac de tactus diffusionem per omnes vel intimiores organismi partes non cogitantes, loquuntur de *sensu musculari*, de *sensu organico*, etc., tanquam de sensibus realiter distinctis et diversis ab ipso tactu, sicque inutiliter et arbitrariamente omnino multiplicant sensus et confusionem inducunt inter sensibilitatem externam et internam. Sensus muscularis et sensus organicus physiologorum non sunt nisi tactus ipse, quatenus exercetur in organis internis, quae sese tangunt mutuoque modificant, non aliter ac una manus, e. g., tangit et modificat alteram. « Un muscolo che punti sull'altro, un viscere che prema il vicino, e tanto maggiormente poi un umore maligno che roda i tessuti, e la punta di un osso infranto che s'insinui nelle carni, agiscono sui nervi sensitivi, che per avventura vi s'incontrino, come corpi distinti. Quindi il senso, nella parte che è passiva, emette il suo atto; termine del quale sarà l'immagine della parte attiva. L'atto sensitivo cioè ne rappresenta, come di corpo estraneo, le qualità tangibili: resistenza, calore e via discorrendo. Nel qual modo, l'una parte agendo sull'altra reciprocamente, può aversi una sensazione che si stenda per tutto un braccio o altra regione del corpo. Che se tali rappresentazioni sono per ordinario oscure e mal definite, ciò dee ripetersi sopra tutto dalla natura stessa del tatto, la cui determinatezza nel rappresentare è, negli organi interni, ognora scarsa, e varia di molto anche alla superficie del corpo. — Ben consentaneo è poi che così si produca sovente interno diletto o dolore. Essendo angustissimi, per esempio, i limiti della variazione della temperatura confacevole coll'organismo, un pochissimo di calore soverchio, comunicato da una parte alla sua vicina, è sconveniente a questa oltre misura; e dee quindi eccitare nella potenza appetitiva, che vi risiede, un fortissimo risentimento. Lo sanno quegli infermi, ai quali un menomo eccesso di calore interno riesce penoso quanto un incendio. Sconvenevole può essere altresì la più leggera pressione di una parte contigua, quando la parte premuta è, per suo vizio mal disposta: e lo sperimentiamo negli organi esterni, dove le piaghe e le enfiature non si toccano o coprono mai sì delicatamente, che ogni contatto non sia per loro una percossa, e ogni velo un piombo » (SALIS SEEWIS, *Della conoscenza sensit.*, n. 198).

sistentiam, quae certe ad tactum spectat, atque temperaturam, non apparet minor differentia quam inter gustum, odorem et colorem. Hinc non sine causa affirmant Aristoteles et D. Thomas tactum, respectu ad duo haec sensibilia, resistentiam scilicet ac temperaturam, non esse sensum specie unum, sed genere.

Sensoria. — *Organa sensoria*, vel pressius *sensoria*, appellantur illae organismi partes, quibus inhaerent sensus. — Iam indicavimus organum proprium cuiusque sensus externi, saltem in animalibus cuiusdam perfectionis: nunc expedit subiungere in iisdem animalibus, omnia haec organa connecti cum organo communi et centrali, quod est systema nerveum *cerebro-spinale*; ex cerebro enim, vel ex ei annexa medulla spinali, nervi sensorii, quasi quidam rivuli, per totum corpus diffunduntur et ad organa externa terminantur. Si cerebrum externaque organa coniuncta manent, nullumque ponitur impedimentum eorum communicationibus, sensatio externa bene completur: aliter male, aut nullo modo. Hinc apparet cerebrum aliquid conferre ad sensationes externas perficiendas, quamquam, conscientia teste, ipsae proprie non perficiantur nisi in organis externis.

Sensibilia. — Dicuntur *sensibilia* obiecta quae sensibus percipi queunt. Tales sunt omnes res materiales, concretae et singulares, omnes nempe res in natura existentes, quae in organis sensoriis agere possunt et, per organa, in sensibus illis inhaerentibus.

Sensibilia per se et sensibilia per accidens. — Ex rebus sensibilibus, aliae sunt sensibiles *per se*, et aliae *per accidens*. Sensibiles *per se* sunt omnes proprietates corporum, quae per seipsas agunt in organis sensoriis ac proinde in sensibus; sensibiles vero *per accidens* sunt substantiae corporeae, quae non per seipsas, sed tantum per proprietates suas in organis atque in sensibus agere possunt.

Sensibilia per se primario et sensibilia per se secundario. — Sensibilia per se distinguuntur in sensibilia per se *primario* et sensibilia per se *secundario*, prout determinant sensus ad sensationem eliciendam (veluti colores, soni, etc.), aut solum modificant sensationem (veluti magnitudo,

distantia, figura, etc.); in compertis est enim quod si, e. g., res materiales videntur, unice videntur quia sunt coloratae; et si color in magna vel in parva superficie diffunditur, in propinquo vel in remoto situ, eius visio diversimode efficitur.

Sensibilia propria et sensibilia communia. — Quae sunt sensibilia per se primario vocantur etiam sensibilia *propria*, quia ita sentiuntur uno sensu, ut nequeant sentiri ab aliis. Ipsa iam scimus esse colores, sonos, odores, sapes et qualitates tactiles, i. e. temperaturam et resistantiam. — Contra, quae sunt sensibilia per se secundario vocantur etiam sensibilia *communia*, quia sentiuntur pluribus sensibus. Ipsa reduci possunt ad extensionem, figuram (communes visui et tactui), numerum, motum et quietem (communes omnibus sensibus).

THESIS. *Iure distinguuntur in animalibus quinque sensus externi superius descripti.*

Prob. — Tot sensus externi in animalibus distinguuntur debent, quot sunt obiecta externa, quae ab animalibus percipiuntur sensationibus diversis, quaeque idcirco arguunt vires seu facultates sensitivas diversas. Iam obiecta externa, quae determinant sensationes diversas, constat esse: colores, sonos, odores, sapes et qualitates tactiles; nam caetera obiecta, aut nullo modo per se influunt in sensibus (huiusmodi sunt diversae substantiae corporeae), aut influunt solum modificando sensationes ab obiectis primis determinatas (huiusmodi sunt magnitudo, propinquitas, distantia, quae omnes extensione comprehenduntur: figura, numerus, motus et quies). Ergo...

Ordo superioritatis inter sensus externos. — *Ratione perfectionis* omnibus aliis praeit visus, qui inest organo arte mirabilissima instructo, quique, ut ait S. Thomas, *quasi quidam intellectus corporis*, amplissime spatiatur, resque innumeras ac remotissimas percipit: subsequitur auditus, qui, quamvis structurae arte et actionis amplitudine, cedat visui,

praestat nihilominus caeteris aliis sensibus: venit tertius olfactus seu odoratus.

Ratione necessitatis: — 1) in ordine ad vitam superiorem, spiritualem, cui in homine subservire debent, primas partes obtinent visus et auditus: ille propter ingentem numerum rerum quas apprehendit; iste propter quod apprehendit sonos verborum, quae sunt quodammodo vincula societatis et media praecipua, tum intellectualis, tum moralis educationis: — 2) in ordine ad vitam inferiorem primas partes obtinet tactus, eique proxime accedit gustus; unde natura sapienter providit ut in animalibus superioribus, quae omnibus sensibus externis donantur, tactus et gustus in actum prodeant priusquam caeteros.

Ratione certitudinis primum locum habet tactus, ipse enim, quippe qui immediate coniungitur cum obiectis suis, insuper plures eorum qualitates una simul apprehendit (temperaturam, resistantiam, extensionem, figuram, etc.) evadit pene infallibilis: secundum autem locum habet visus, quia communem habet cum tactu capacitatem attingendi una simul plures corporum qualitates (colorem, extensionem, figuram, etc.). Hinc sequitur quod, quum aliquid pro certo affirmare volumus, dicere solemus: *De hac re certus sum aequae ac si eam viderim vel tetigerim.*

Coroll. — Philosophi et naturalistae docentes colores, sonos, odores, etc., non esse reales corporum proprietates, sed tantum modificationes diversas subiecti sentientis, subiectivismum ac scepticismum vitare nequeunt. Et vero, si colores, soni, etc., qui sunt obiecta sensibilia per se et primario, non sunt reales corporum proprietates; quomodo tamquam reales considerari poterunt extensio, figura, numerus, ceteraeque proprietates quae sunt tantummodo sensibiles per se secundario, quatenus valent modificare sensationes ab aliis proprietatibus provocatas? (1).

(1) « Non seulement il n'est pas légitime d'assimiler la couleur, le son et les autres qualités secondes à une pure affection du moi comme le plaisir et la douleur: ce serait assimiler le non-moi et le moi, la perception externe et la perception interne...; mais encore ce serait

Obi. I. — Quum aut cerebrum laborat, aut nervus, nectens cerebrum cum organo externo, abscinditur vel solum alligatur, sensatio externa amplius non fit. Ergo false assignantur oculi, aures, etc., uti sedes propriae sensationum externarum.

R. I. — Retorqueo argumentum. Quum aliquod organum externum laborat, aut nervus, nectens idem organum cum cerebro, abscinditur vel solum alligatur, sensatio externa amplius non fit. Ergo false assignatur cerebrum uti sedes propria sensationum externarum.

II. — Sensationes sunt facta interiora, psychica, quae nullo alio criterio, melius quam voce conscientiae, nobis innotescere possunt. Iam quisque conscius est se videre oculis, audire auribus, tangere manibus..., non autem videre, audire, tangere, ... cerebro. Ergo...

III. — Recentiores physiologi testificantur cerebri emisphaeras operatione chirurgica ambas auferri posse, in avibus aliisque animalibus etiam mammiferis, quin tamen evanescat omnino in ipsis sensitivitas externa (1). Atqui id impossi-

ruiner l'objectivité de l'étendue et du mouvement lui-même. En effet, toutes ces sensations sont au fond de même nature.

« Bien plus, l'étendue est une qualité *première*; or si les qualités *secondes* ne sont pas objectives, les qualités premières le seront encore bien moins. Ces qualités premières,..... ne nous étant connues qu'au travers des qualités secondes, c'est par la couleur que la vue perçoit l'étendue, et le tact ne la touche que par la résistance, la température, etc.; que si les qualités secondes n'existent pas objectivement, que deviennent les qualités premières? N'est-ce pas rouvrir d'un autre côté la porte au scepticisme? » (FARGES, *L'objectivité de la perception des sens externes et les théories modernes*, Conclusion).

(1) « L'aspetto e il modo di comportarsi di un uccello cui sono stati esportati gli emisferi cerebrali è simile notevolmente a quello di un uccello sonnacchioso e stupido. Lasciato solo pienamente tranquillo, esso rimane impassibile ed immobile per un tempo lunghissimo, quasi indefinito. Se viene stuzzicato, muta di posto e poi, lasciato solo, riprende un atteggiamento naturale e comodo. Messo supino o sul fianco, si rizza in piedi; gettato in aria vola con sufficiente precisione per qualche tratto, poi ritorna in riposo. Spesso si mette il capo sotto le ali, e fu veduto pulirsi le penne e prender col becco il frumento o l'acqua che gli si presenta. Lo si fa muovere, non solo stimolando la pelle, ma con suoni

bile evidentemente foret, si cerebrum esset sedes propria sensationum externarum. Ergo...

Obi. II. — Praeter sensationes colorum, odorum, etc., dantur sensationes delectationis et doloris organici, famis, sitis, defatigationis, etc., quae procul dubio differunt ab omnibus sensationibus relatis. Ergo praeter sensus visus, auditus, etc., admitti debent alii sensus ab his omnino diversi.

R. — Adversarius opportune fassus est delectationem et dolorem organicum differre ab omnibus sensationibus relatis. Et vero delectatio et dolor organicus, licet communiter sensationes nominentur, tamen confundi nequeunt cum sensationibus de quibus hic loquitur, nempe cum perceptionibus rerum materialium. Ipsae utique percipiuntur, sed non sunt perceptiones: sunt dumtaxat immutationes, affectiones, passionis organismi sentientis; sunt (ut locutionibus propriis recentiorum utamur) *elementum pathologicum, tonus* qui comitatur unamquamque sensationem externam. — Ad rem, observa sensibilia propria non posse sensationes sibi respondententes, i. e. perceptiones sui in animalibus ciere, quin aliquam impressionem faciant in illorum organis sensoriis sicque immutationem quandam physicam in ipsa inducant. Si impressio et immutatio haec congruit structurae, aliisque internis conditionibus eiusdem sensorii, voluptas seu delectatio experitur, secus dolor.

Quod de sensationibus delectationis ac doloris in genere dictum est, videtur dicendum quoque de sensationibus famis, sitis, defatigationis, nisus (*sforzo*) et generatim de sensationibus quas physiologi *organicas* vocant. Hoc unum discrimen inter ipsas existit, videlicet illas plus minus communes esse omnibus sensibus externis; istas solo tactui interno, seu muscolari, organico, convenire.

repentini, o con lampi di luce; ed è evidente che i suoi movimenti sono fino a un certo punto governati dalle sensazioni visive, perchè nel volo scansa, sebbene imperfettamente, gli ostacoli... Anche in un mammifero, nelle poche ore che trascorrono tra l'esportazione degli emisferi e la morte, si possono osservare dei fenomeni molto simili a quelli menzionati sopra » (FOSTER, *Trattato di fisiol.*, lib. III, cap. VI).

Obi. III. — Substantia corporea, utique per intellectum, sed minime per sensus percipi potest.

R. — *Dist.* Per sensus percipi non potest ipsamet essentia substantiae corporeae, sicut fit per intellectum, *conc.*; per sensus percipi non potest substantia corporea, singularis, concreta, existens sub determinatis illis accidentibus, quae in organis impressionem faciunt, *subd.*: directe, explicite, per *seipsam*, *conc.*; indirecte, implicite, per *accidens* i. e. per concomitantiam cum suis accidentibus, *nego*. Et vero, sensus non percipiunt proprietates corporum in sua essentia, abstracta a conditionibus individuantiis huius vel illius temporis, huius vel illius loci, etc.; sed eas percipiunt in concreto, nempe quales existunt in hac vel illa peculiari substantia corporea, cum his vel illis conditionibus individuantiis temporis et loci determinati, etc. Brevius, sensus non percipiunt *colorem*, *sonum*, *saporem*, etc., sed percipiunt hoc vel illud *coloratum*, hoc vel illud *sonorum*, hoc vel illud *sapidum*. Atqui coloratum, sonorum, sapidum, non sunt dumtaxat accidentia, sed sunt substantiae cum peculiaribus illis accidentibus, quibus nomen color, sonus, sapor. Ergo...

§ II. DE SENSITIVITATE INTERNA.

Praeter quinque sensus externos in animalibus superioribus quatuor sensus interiores admittere oportet, scilicet: *sensum communem* seu *sensum intimum*, *phantasiam*, *aestimativam naturalem* et *memoriam sensitivam*. Tractatio vero istarum facultatum magnopere interest; si enim naturales recentiores persaepe brutis quoque intelligentiam tribuunt, ratio est quia sensitivitatem internam parum cognoscunt et hanc cum illa inepte confundunt.

THESIS. — *In animalibus reapse inveniuntur: 1) sensus communis; 2) phantasia; 3) aestimativa naturalis; 4) memoria sensitiva.*

Prob. I p. (*sensus communis*). — Sensus communis, quem recentes *sensum intimum* vel etiam *conscientiam sen-*

sitivam potius appellant, est facultas qua animal apprehendit omnes sensationes suas externas, earum differentias obiectivas et subiectivas, necnon partes diversas proprii organismi.

Existentia huiusmodi facultatis, in animalibus etiam brutis, patet ex eorum agendi modo. Revera animalia, discernunt: — 1) obiecta diversa omnium sensuum externorum; — 2) affectiones diversas, delectabiles vel dolorosas, organorum sensuum externorum: unde si canis, e. g., dum carpit cibum, fortiter verberatur, certe relinquet cibum, licet valde sapidum, ne alia patiatur verbera. Atqui haec essent explicatu impossibilia, si bruta non possiderent aliquem sensum internum et communem, quo ipsa perciperent una simul omnes sensationes sensuum externorum, tum quatenus sunt perceptiones obiectorum, tum quatenus sunt modificationes, affectiones delectabiles vel dolorosas ipsorum sensuum ideoque organismi: oportet enim « *quod qui inter aliqua discernit, utrumque cognoscat* » (*S. Th.* p. I, q. LXXVIII, a. IV ad 2); gustus autem non cognoscit quae fiunt tactu, nec tactus cognoscit quae fiunt gustu vel aliis sensibus externis. Ergo animalia etiam bruta possident sensum internum et communem.

Prob. II p. (*phantasia*). — Phantasia est facultas illa per quem animantia in seipsis conservant et reproducunt imagines rerum antea perceptarum, ac saepe ex iisdem imaginibus, diversimode associatis, condunt imagines novas. Haec vis sub hoc posteriori respectu considerata, in quantum scilicet condit imagines novas, peculiari *imaginationis* nomine insignitur.

Nunc age; phantasiam nobis communem esse cum animalibus brutis, saltem perfectioribus, ipsa experientia testatur clarissime. Quotidie enim videmus iumenta sine errore per loca nota pergere, cubilia sua repetere, etc.. Atqui haec essent prorsus inexplicabilia, si in iumentis non admitteretur facultas retinens ac reproducens *imagines* rerum. Ergo... Accedit bruta quoque saepenumero dormiendo somniare, et aut voce immurmurare, aut subito resilire, aut aliis motibus dare signa manifesta internae